

3

DE
 IMPERII ROMANO.
 GERMANICI
Præ Turcarum Dominatu
 PRÆEMINENTIA;
 ORATIO,
 Habita TUBINGÆ,

Mense Aprili

In Aula Philosophorum Renovata,


à


JOSIA LUZ, Schorndorffensi,

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO M. DC. LXVII.







CHRISTOPHORUS
CALDENBACH,

El. Prof.

*Ejusdem in Academia Tubingensi
Studiosis Sal.*



Uod de Catone alicubi, in *Gno-*
mus Jambicis, Dominicus Baudius, ele-
gantissimus Scriptor, affirmat:

*Nil curat aliâ mente praditus Cato,
Quâ sede sedeat;*

minimè omnium ad mundi Magnates
pertinet, quorum quasi *proprium est*, de honore & gloria
certare. Nec difficulter id, agitatæ cunctis retrò sæculis,
Principum super *puncto hoc terra*, quale Seneca vocat,
contentiones evincunt; quas ad multi profusionem
sanguinis, in conventibus saltem publicis; cæterùm ad
bella & cruenta prælia, in oculis orbis, excurrisse mul-
toties, atque etiamnum excurrere, nemo est, qui igno-
ret. Neque id sive Wideradi & Hecelonis, illius Ab-
batis Fuldenfis, hujus Hildesheimensis Episcopi, obor-
tis ipsâ in Ecclesia Goslariensi de jure præcedentiæ dis-
sidiis; sive Rudolphi, Herbipolitani Episcopi, Comi-
tumque Papebergiorum, commissis eadem de re afro-
cibus pugnis; aliisque exemplis compluribus, confir-

mare modò refert. Quanquam autem à *cuspide* maximam partem *lites ista pendent*: calamum tamen & stylum quin interponant subinde suum Rhetores, nihil vetat. Etenim nec ultra disceptationum se illa arena exporrigit, quàm efficaces argumentorum nervi permittunt. Tum, quid fata, quid gladii, quid jura alia, legesque, quarum arcana non semper hac in umbra penetrantur, evaleant, suo loco relinquitur. Minus tamen dubium se modò campum ingredi, *Præstantiss.* & *Doctiss.* DN. JOSIAS LUTZ, *Schorndorffensis*, autumat, quando DE IMPERII ROMANO-GERMANICI PRÆ TURCARUM DOMINATU PRÆEMINENTIA dicere quid in publico instituit. Equidem dudum is de *Sacratissimo Imperatore nostro* tritum hoc, contra quemcunque mundi Monarcham, assumendum sibi statuit:

*Astra DEO nil majus habent, nil Cesare terra:
Sic Caesar terras, ut DEUS astra regit.*

Sed verò contra hostem Christiani nominis, Getarum Tyrannum, tantò faciliorem in hoc undique se calculum obtenturum confidit, quantò is omnium mundi Principum justiori odio flagrat. Ut autem imparem se porrò dicenti tam arduæ fatetur lubens: sic Auditorii, quod meis verbis, post sacra matutina, in Aulam Renovatam, demissè & observanter invitat, faventiorrem indultum sperat, expetitque, Die, April. M DG LXVII.

DE



DE IMPERII ROMANO GERMA-
NICI PRÆ TURCARUM DOMINA-
TU PRÆMINENTIA

ORATIO.



Audet iterum suis halcyoniis maxima pars orbis Christiani, quem nuper admodum armis internecinis, non præter morem, furor Othomannicus aut incussit, aut tremefecit. Vix domum se, à peracti, pactique fœderis solennibus, patrati utrinque patres receperunt: & nos paullatim denuo omnem interea tanti hostis metum pectoribus cunctis eliminamus, securitatemque pristinam. indubitata haud vulgaris ruinæ antambulam, apertis undique valvis recipimus. Non est, *Aud. genere, officio, & ingenio* *quaquaversum Florentissimi*; non est mex, neque infantia, neque iudicii imbecillis, fata & momenta rerum publ. vocibus ominatoris, grandi supercilio, hoc ex loco evolvere. Nisi quid tamen me fallit, haud injusta vellicare animos nostros cura & sollicitudo videtur, ne, dum partim recuperatæ nos pacis dulcedo in, nescio quem, profanæ iterum incuriæ veternum immergit; partim discordiarum civilium haud obscuræ passim adhuc domi gliscunt, serpuntque flammæ; non sat curatâ inter *Principes Christianos*, vulnera recidivo alicui, eique exitiali morbo, malove pateant: atque ita, novæ incurSIONIS arreptâ ex improvise ansâ, caulave, nos, vastator ille terrarum, *Turca* Christianorum nunquam sanguine exsaturandus, aut obruat incautos, aut fessos intestinis odiis, & exsanguis jugulet. Quid enim? an qui se ad cadendum, excidendumque natos & ortos profitentur palam; qui exitiû atque excidiû sese nostris ipsâ religione obstrictos norunt; qui dirû quibusque, & execrationibus quoridianis, inter sacra nos publica devovent; atque disidia etiam interna, & dissensiones domesticas, prece solenni assiduo cœlis im-
pre-

precantur nobis; an eos, inquam, in utramvis posthac aurem nobiscum obdormituros speramus? annon omni potius, ut solent, intentos occasioni providemus, quâ, nequicquam obstante pacti sanctitate ullâ, infestum denuo in nos acinacem, aciemque, stringant, & quâ possint, extirpare gentem, sibi penitus exosam; proferre autem latius indies, ut hæctenus, sui pomœria regni allaborent? Glorietur sane, divis tam faventibus, ultimam eò usque nobis *in Hungariam expeditionem* successisse, ut, suavissimis undique victoriæ nuntiis recreati, epinicia tandem, cantaremus; dies festos celebraremus; plausibus & triumphis latè resonare omnia faceremus: si, truncata rursus parte nobili, Pannonia segnitiam hæud leniter nostram increpat; si abreptos magno numero, præter occisorum multitudinem, fratres & consanguineos in durissimam servitutem nostros ingemiscimus; si imminere spatiis usque & usque propinquiorebus ferri Mahometici truculentam sævitiem jugulis nostris indolemus. De majoribus olim nostris hoc Cornelius Tacitus, *in libello de corundem moribus*, concepit votum: *Maneat queso, duretque gentibus, si non amor nostri, at cerit odium sui; quando urgentibus Imperii fati, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.* Non aliâ certè precationis formulâ de nobismet ipsis fatigare incessanter superos, Mahometemque suum, omni historiâ testè, gens Musulmanica dicitur; ut, cujus cum se factam videt compotem, non difficile prævalendi nobis spem concipit; quæ cæteroquin nec ipsam se tutam satis à viribus nostris arbitrat. Hæc nimirum viâ invaluit ea primò, è *Scythia latebrâ progressa*; hæc *Asiam* dein latè hæc *Africam*, & quicquid latrociniis nefandis pulcherrimo *Europa* corpori avulsit, tenet; juxtaque vetus Nafica dictum, *quos unitos non potuisset, divisos sub jugum misit*, aut tributarios sibi reddidit. Vel oculos queso in Orientem, in Septentrionem, atque Occidentis extrema, in ipsa Germaniæ charissimæ viscera, levemus nostros; & nunquid ex voto accidat recutitis istis, inhorrens quaquaversum, necdum sopitus penitus, civilium armorum strepitus infaustos edocebit. Utinam verò *Genius* ille de cœlo bellator, qui laureatas nuper è Danubii confiniis cohortes nostras reduxit, non objicere

tum illud opus habuisset nobis: *Vincere scit Hannibal; victoriâ uti nescit!* Utinam victrices aquilas, non male auspiciatis junctas cœtibus, ad ipsa mox *porta Othomannica* convellenda claustra superba, rectâ adduxisset idem; nec frustra suppetias adhuc nostras inclamarent tot agmina, tot populi gemebundi, quotquot, infelicissimis arctati ergastulis, sub tyrannide Saracenicâ mortem optant, non impetrant!

Sed quò patriæ me calens abripit amor? quò, notæ seculis omnibus, avitæ, id est, Germanicæ virtutis, nutans fluctuansque, præter meritum, intra has medullas, confidentia? Liceat sincerius aliquid ominari, *Auditores*, quorum venerabilem coram confessum pronò circumcirca vultu ac corpore veneror; sincerius, inquam, aliquid de, notâ, & testata toties fulgentissimis indiciis, timendi unicè, unicèque adorandi, benignitate Numinis; sincerius de non fictæ, aut fucatæ, quod præferimus usque, ac pollicemur, studio pœnitentiæ; sincerius de *Majestate ipsa & præcellentia Imperii Romano-Germanici*, nullo unquam Osmanidarum fastu, & jaçantia, ancipitem ideo aleam subituri. Hanc sanè *Imperii nostri*, quam à Turcico infinitis parasangis habet, *Praeminentiam*, certissimis, iisque longè clarissimis, & invictis, fundamentis nixam, explicare modò, & submittere, citra omnis vel arrogantiae crimen, vel ostentationem eloquii, vestro exacto undique judicio conor; si modo, quod unum enixè oro, ac humiliter, censere conatum in me potius, quàm vires, quàs ab hac tenuitate argumenti gravitas arceat longè. Aristarchi benigni ac benevoli volueritis.

Nempe, quod proprium est Principum, *de honore & gloria certare*; utque *Cæsar olim primus in oppido obscuro, quàm Roma secundus esse malebat*: sic Othomannigenæ isti principatum, non de cæteris saltem orbis universi Dynastis, sed de Romanæ quoque Majestatis sacratissimo culmine arroganter satis, imò ausu non temerario tantum, sed sacrilego, quærunt sibi, & affectant. Quid ego hîc nugatorias vobis Imperatorum Turcicorum tabulas, quas legere hinc inde est ad Cæsares nostros, immensis titulorum ampullis refertas, quibusque *se totius orbis, & omnium regnorum magni maris Oceani Principes; Christianorum verò non dominos tantum,*

tum, sed hostes, potentia formidabiles, gratia irreconciliabiles, DEI Omnipotentia, vah blasphemiam! filios nuncupant, allegem, aut praelegam? Atque, ut supposititias ex illis quasdam opinemur; Imperatorum certe Constantinopolitanorum ut ad se potentiam vi, non jure, traduxerunt, sic appellationem quoque dudum vendicant sibi, quorum stemmata Betha quadruplici constabant olim, hunc nimirum sensum involventia: βασιλεὺς βασιλέων, βασιλέων βασιλεύουσι: Rex regum, imperans regibus. Quo carmine & Reges quondam Assyriorum, Persarumque, & Parthorum usos, non ex sacrarum modo literarum monumentis, sed Dionii etiam testimonio constat. Et, quasi parum esset, reges se regum, dominos dominorum nuncupasse; quâ nuncupatione tamen manifestum in Supremam caelorum Majestatem sacrilegium committunt: pro extenuanda quoque Romani Imperatoris auctoritate & fastigio, omnium se Imperatorum ter maximos; quamque prioribus adhuc augustiorem, si Diis placet, dignitatis appendicem existimes, vanissimâ ambitione, non invidendo tamen auctario, Musulmanorum omnium Principes se appellant. Sed turgeant, insulentur, intumescant titulis pro lubitu Byzantini isti Vejoves: nec ipsi, nec quicquid est Magnatum inter homines, de supremæ in mundo eminentiæ solio Augustos unquam nostros deturbabit. Quæ enim sunt jura superioritatis, qui elenchi præcedentiæ, quibus ferociunt illi tantopere?

Credo, de Imperii primò antiquitate, vel sanctitate litem nobis movebunt. Ut enim largiamur istud pleno sinu, non semper, ac simpliciter, quò quid est antiquius, melius esse: in prærogativa certè dignitatis, in principatu honoris, cum ad paritatem axiomatis cætera optimè conveniunt, augmentum non leve addit vetustas possessionis. Computent ergo regna, quæ viginti numero, cum duobus Imperiis, ac ducentis civitatibus, intra annorum vix triginta spatium, vel unus Mahometes II. acquisivit; dinumerent populos; regionum fines, classes, exercitus, opes, ac redditus, aucto subinde chiliadum ac myriadum numero, exaggerent: nunquid proinde non nupera valdè, non recentia, & quasi hesternia, hæc omnia, in quibus gloriantur tantopere, si cum veneranda Romani Impe-

Imperii canitie comparentur, esse evincunt? Sive enim *tituli Cæsarei* primordia indagare juvat, ab Mahomete II. quem diximus modò, primùm usurpati: vix seculi inde secundi ad hæc usque tempora decursum animadvertent; sive *Osmanem, vel Othomannum, principem, caputq; gentiù,* allegabunt, qui, cum magni Tartarorum Chami miles esset, prætextu injuriarum quarundam secedens à Tartaris, quadraginta primò equitum satellitio stipatus; mox accedente ampliori indies prædonum numero, Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Pamphiliam, & Ciliciam, amplissimas regiones, occupavit, regiâque appellatione formidabilem gentibus, Turcarum dominatum fecit: vix sesquiseculi spatio, principii terminos ultra promovebunt; sive ad *Mahometem* denique, *religionis auctorem,* qui Saracenis, cum Heraclium Imperatorem, ob negata fortè stipendia, caninamque appellationem, infestarent, ducem se præbuit; inque Syria, Arabia, & Ægypto, prima latrociniorum ac persecutionum Christianæ gentis atrocina edidit, impiæ ac immanissimæ prorsus dominationis natales referre volent: anteveniri se undique non vetustate saltem originis, durantisque Imperii diuturnitate, sed justis etiam regnandi auspiciis, ab Imperio nostro deprehendent. Quid enim omni ex historia manifestius, quam, non quidem justas bellandi causas, neque etiam populi feri penitus & inculti fortitudinem, & accuratam armorum peritiam: sed bella potius Christianorum, atque internas Latinorum cum Græcis æmulationes, dissidentias, atque in religione inprimis dissidia; quodque inauspicatò prorsus, & intempestivè, ab imbecillioribus barbari isti ad subsidia, & patrocinium contra potentiores, evocarentur, in causa fuisse, cur tot illis terrarum spatia, tot ditiones & regna longe potentissima, florentissimaque subjicerentur? Quam causam olim Methodius jam prospexisse fertur, ita auguratus: *Christiani incestino bello debilitati, inimicis Ecclesia resistere nequibunt.* Scilicet ut Romani olim per Campanos in Samnium; per Mameretes in Hetruriam; per Siculos in Siciliam; per Athenienses in Græciam; per Saguntos in Hispaniam intrarunt, & ex civitatibus sociis, subministrando illis auxilia contra æmulos earum, servas sibi fecerunt: sic & Turcæ per Contaguzenos in Pruziam; per Pa-

heologos in Thraciam; per Despotos in Rasciam & Bulgariam; per Joannem Sepulsi in Hungariam sibi aditum patefecerunt; dandoque Imperatoribus Constantinopolitanis subsidia, contra tumultuantes Principes, Græciæ provincias faciliè occuparunt, inhumanissimosque tegerunt laniatus. Opponamus jam mundi istis prædonibus, arte Sinoniâ, ferriq; acie truculenti, terrarum triplex confinium ævo seriori larè depopulatis, sanctissima Romani Imperii cunabula & auspicia, quibus consecrare illud, & inaugurari jam antiquissimis retro *Propbetarum suorum oraculâ & vaticiniis*, atque in numerum *quaternarium maximorum per orbem Principatum* inserere, sapientissimo æternæ providentiæ decreto, DEUS ipse fuit dignatus: nec obscurè, credo, prærogativæ evidentiâ dubiæ oculis omnium illucescet. Quàm enim graphicè, quàm insignitè, ibidem omnem tanti Imperii celsitudinem, & sublimitatem, *in visione Danieli gemina* adumbratam licet intueri; hinc *crurium ferreorum* in magno colosso imagine: inde *bellæ immanis, monstro-sæ, ac robuste* typo, quæ *dentibus ferru* longè lateque sit grassatura, *pedibusque omnia conculcatura!* Hic illæ nimirum ferratæ Romanorum mentes, hic illud inextuperabile, cunctisque gentibus prævaliturum robur, ille pulcher immitigabili ferocitate ac sævitia vincendi, regnandique, ardor, antequam cognosceretur in mundo, radiabat in symbolo; antequam legeretur in historia, notabatur in idea; & quasi cœlitus jamjam nascenti populo inspirabatur. Sit licet Quarta Monarchia, ut in corpore tibia, sic tempore ultima & postrema: hic tamen jam tum, perambulaturas cito pede mundum, victorias; hic sustentaturas, quasi fulcro quodam, magnum hoc universi corpus, vires, antequam ipsa experiretur eas, tanquam in speculo ostendit. Jam quod tibiæ *pedes ex parte ferrei, ex parte terre ac fœtiles*, in prima illa effigie comparent: quid, nisi fortis quædam disparitas, succedensque subinde virium imminutio, quæ firmitati tamen invictæ, & æterno robori, nihil quicquam derogatura esset. eo fuit designatum? Hinc sanè ipsa historiarum veritas, si consuluerimus eas, certo eventum subministrat. Annorum enim ferreum hoc Imperium, robustumque, sub Augusto; terreum autem atque luteum sub Augustulo fuit: non ferreum sub

Constantino M. Orientis restauratore; terreum autem sub Constantino Palæologo, ejusdem finitore, extitit? non ferreum sub Carolo M. cui translationem axiomatis Germani debemus; ferreum autem sub altero Carolo, qui Crassi cognomen tulit, & à throno depositus, vix, unde aleretur, reliquum habuit, eluxit? Quid juvat, ulteriorem huc Chronologiæ seriæ attexere? Atqui, ut *ferri plantarium in colosso*, sic vigor, visque indomita manet adhuc, & manebit, Imperii, quod nulli hæcenus expugnare hostes, nullæ calamitates comminuere, non ipsum urbis Romanæ toties dirutæ, excidium infringere potuit, aut labefactare. Equidem & suæ tyrannidis figuram ex sacris visionibus, ex inspirata vatibus divinis pagina, citare, Thracum Tyrannis licet; sed detestandam undique, sed abominabilem, & execrandam in oculis DEI, & Sanctorum ejus. *Considerabam*, inquit Propheta de commemorata paullò antè immani, & decemcorni bestia; *Considerabam cornua; & ecce cornu parvulum ortum est de medio eorum; & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus; & ecce, oculi quasi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Jactent hîc, ut lubet, raptores illi, & latrones Getici, robur suum in cornu; roboris incrementum in magnitudine; nam, visionis interpres, Angelus, majus evasisse cæteris hoc unum cornu, subjungit. Sed despuant in ortu corniculi, quod parvulum nempe primò, abjectissimos regni sui, primique ejus fundatoris natales; erubescant regnorum, Ægypti, Asiæ, Græciæ, iniquissimas rapinas, in avulsione trium cornuum; damnent astutissimam proferendæ ac stabiliendæ tyrannidis vafritiem, in oculis; perhorrescant denique, & execrentur, in ore grandiloquo, quas eructant adversus ipsum cæli Monarcham, blasphemias; quæ sanctorum cœtui movent, bella; quas audent, temporum, legumque, divinarum pariter atque humanarum, scædissimas immutationes. Quàm gloriosum id genti, populoque Germanorum, Romani Imperii, in quo *constituendo virtus & fortuna contenderunt*; cujusque ad se tandem, fatis conspirantibus, spolia omnia, & exuvias, & triumphos, & titulos innumeros traductos norunt, amplitudinem & majestatem in umbra illa præfigurationum cœlestium legere: tam pudendum verparum istis manipulis, despe-

ctissimum Mahometis sui exortum, vimque omnem regni, & injurias orbi illatas, sceleraque gentis, & atheisticam immanitatem, non nisi stygijs aquis expiandam, paribus involucris divinarum revelationum tam diu delituisse. Et poteram ulteriora indidem furoris Turcici præfagia, per *Antichristi* tetram faciem; per *depugnanda Gegi & Maggi in montibus Israelii prælia*; perque *stellam magnam Apocalypticam, Absinthii nomine, in mare prolapsam, & undarum amaritudine homines necantem*, allegare, nisi ad alia properaret oratio. Nec verò parùm, post prædictionum voces in sacris literis verendas, ipse quoque sanctissimus generis nostri *Redemptor, suo in carnem adventu, vitæque*, ultimæ hanc, quam propugnamus, Monarchiæ nobilitatem, nullique posthabendum apicem confirmavit; ut quasi exemplo præire aliis, in ea honoranda, voluisse videatur. Enimverò quod, ipsis Angelis futuræ plausibilis, incarnationis tempus in hanc distulit; quod altissimâ undique pace, ipse *pacis Princeps, Augusti imperium, sub quo natus est, tranquillavit*; quod, vix utero egressus, *caesari se submitit*; quod, adultior factus, hunc *pro se, suæque exsolvit, exolvendumque omnibus præcepit*; quid hæc omnia, nisi summi honoris, eximique cultus ac venerationis, tanto Imperio debita, clarissima sunt documenta, vel indicia? Nam & *lapidem se ideo, de monte sine manibus abscindendum, statnamque regis Babylonici regnorum mundi præcipuorum icona & effigiem comminuturum, per Danielem prædixerat. Nam, quid est, inquit Augustinus, mons, unde præcisus est lapis sine manibus? Regnum Iudeorum. Quid est præcisus de monte sine manibus? Natus de gente Iudeorum, sine opere hominum.*

Armis ergo fulmineis, iræque DEI, suorum sic delicta corripientis, Dynastiæ Turcici cœptam improbè, inque vastissimos deinde fines impetu fatali prolatam, dominationem tribuant; utque solent, *flagella se DEI, & hostes Christianorum, atque oppugnantorts, cælitus ad hoc illuminatos, jactent*. Norunt Imperatores se nostri, *DEI gratiâ*, quam formulam & præfigi augustis nominibus solennem habent; gratiâ, inquam, DEI peculiari, prudentissimoque consilio, ad æternæ normam providentiæ, humanis rebus præpositos. Hujus benignitati, partam gladio licet, auctoritatem suam

suam pietissimi quique Cæsares usque acceptam tulerunt. Hic serie continuâ, interventu vel successione, vel electionis legitimo, suos Vicarios solio Romano præfecit, orbique adorandos præbuit. Hic, quod Româ Constantinopolin aliquamdiu transulerat, axioma Imperiale Occidenti restituit; illumque Germanum sanguinem, Magnum Carolum, excitatum indole heroicâ, post maxima demum bella confecta, quartò Romam perduxit: ubi ab universo populo Romano Imperator fuit salutatus, eique acclamatum publicè: *Carolo Augusto, à DEO ordinato, magno, & pacifico Imperatori.* Quod ita fore aliquando, ne Druidas quidem veteres latuit. Quippe, incenso quondam Capitolio, possessionem rerum humanarum *Transalpinis gentibus portends, cecinisse* eos, Tacitus refert. Hic idem, omnium Monarcharum Principumque summus, alios numero multos gloriosissimis factis insignes Cæsares, post Carolum, è gente nostrâ suscitavit, qui, quod Henricus Auceps ad filium, Othonem I. cognomine Magnum, ad filios vel successores suos dicerent: *En tibi Imperium, non à majoribus mihi relictum, sed per memet ipsum acquisitum, & à solo DEO concessum!* Hanc ipsam denique, prædestinatam cœlitus, & admirando usque præsidio stabilitam, sceptri Romano-Germanici majestatem, publica Imperii decreta, sanctionesque augustæ; hanc exterorum Regum, Principumque, hanc seculi omnis consensus, divinâ conspiratione approbavit, confirmavitque: esse mirum *Sacrum Romanum Imperium in terris summum; esse ejus Principem universi orbis præcipuum. & à nullo, nisi à DEO, recognosci.*

Antiquissimum hæctenus, & *sacrum* divinis auspiciis, quâ appellatione etiam vulgò utitur, Imperium Romano-Germanicum, ad convincendum ejus præ Turcica tyrannide splendorem & præstantiam, ostendi Aud. Sed hanc credo *formâ regiminis* porro, & omni politiæ ratione, adversarii illi capitales nostri ibunt dejectum. Quid est igitur, quod florere primò, atque eminere aliquam inter cæteras rempublicam facit? *Religio*, puto, atque cultus Numinis. Quod ip̄ tantum verum est, ut non respublica, sed ferarum potiùs, aut Cyclopum, dira colluvies dicenda veniat societas, nullo Deorum timore fulta, aut stabilita. Non lubet autem

curam religionis in Romanis, quorum ad nos jura, honosque omnis tranſiit, commendare; quæ tanta fuit tamen, ut *inauſpicatò nihil, neque privatim, neque publicè, aggredereſur*; omneque potentix augmentum iſti rei ſcriptores optimi tribuant. Alcorani ſaltem deliramentis, quibus abſurdus nihil, magisque ridiculum, & ſibilo dignum, Natura vidit, cœleſtium dogmatum, quæ *ex ſinu Patriſ coæterni, abſcondita ſeculis*, Dux, doctorque noſter, Chriſtus attulit, veritatem opponere licebit. Quantum hinc non gloriæ modo, ſed & beatitudinis, meritiffimò deprædicandæ, eminentiffimo terrarum Imperio accedat, vos ipſos, pro pietate veſtra ac devotione, teſtes volo & arbitros. Simul enim deceptor ille, pseudopropheta gentis, Mahomet, ſervili genere natus, viduæque heri ſui, quam quinquagenariam, eamque locupletiſſimam duxerat, opibus inſtructus, ſceleſtiſſimam tot dominiorum mundi incurſionem animo volveret ſecum: adjuncto ſibi Sergio, Monacho flagitiſſimo, atque ob ſectam Neſtorii Conſtantinopoli ejecto, hærefin longè dementiſſimam ex Judaico fermento, & maſſa Neſtoriana formavit; quæ cum ad carnis illecebras, etiam cœleſti in paradifo expectandas olim, attemperata non parum eſſet, haud difficulter iſ ſimpliciſſimas Arabum mentes in conſortia latrociniſorum ſuorum pertraxit; cum præfertim, pro velando Epilepſiæ, quem ex intempeſtivis comeſtationibus contraxerat, morbo, arcanos, neſcio quos, cum Gabriele Archangelo ſermones, & congreſſus, fingeret; Sanctique Spiritus, familiaris columbæ ſpecie, pabulum cæ aure captantis, dictamini, adſtipulante offuciis Sergio, legem omnem acceptam ferret. Nolo hîc infantix genus omne putidiſſimo ex libro, cujus tamen traſtationem paulo incurioſiorem capite plectunt, recenſere; qualia iſta, de *terra in cuspide bovini cornu ſtabilita, ad cuius bovis agiſtationem, vel concuſſionem, terra motus contingat*; de *choro ſtellarum, in aere ex caſenis aureis pendulo*; de *Solis & Liæ equis, quorum ille in aquam calidam veſpere mergatur, beneque locus aſcendat atque oriatur*; quæ non abſimilia Poetarum ſomniis ſunt; nolo ſchedularum, humo levatarum, perque rimas parietum hinc inde abditarum, cultum commemorare; quæ per ingentem aliquan-

do craterem ferream, igne fervefactam, & candentem, cœlum ingreſſeris, ſint pontis futuræ loco, alias mille ſuperſtitiones, & commenta plusquam anilia, abſurdiſſimæque, de creatione mundi, de fine ejus, de paradifo inferno, cœlo, creatione hominis, ipſoque Mahomete, ediſſerere nolo. Innumeris ſaltem Corani mendaciis nonnihil veri admixuiſſe veteratorem ſpiritum. hæc probent, quod, tametſi in duo ſupra ſeptuaginta Azoara, vel capitula, lex Mahometis dividatur, non niſi unum tamen ad paradifum, reliqua autem omnia ad ignem inferni ducant; quodque, licet ambitu ſuo liber dicta 12000. contineat, nihilominus novem millia falſitatem redoleant. Ubi ſi quis tam vecordes miretur Mahometicolas illos, qui omnia libri inuſta, inepta, impoſſibilia credant, *legem audiet, quærere de quoquam verantem.* Nam & religionem, diſputatione omni prohibita, non niſi enſe defendunt.

Mittamus autem religionem: & dominationis Turcicæ dignitatem à *conſtitutione, modoque regiminis,* admoto propiùs vultu, dimetiamur. Quam vereor, ne, ſi, poſt conculcatos Crucis benedictæ honores, merum delendi politias honeſtas ſtudium in gente ferociſſima intueamur; ſi literarum, artiumque optimarum, quæ ſunt vinculum politicæ omnis maximum, contemptum & ſaſtidia; ſi introducta per Alcoranum, ipſi naturæ, ſanæque rationis lumini, adverſa è diametro, deliria; ſi populi, ad ſervitutem nati, truculentia, moresque feros, & magna ex parte belluinos, paullo attentius conſideremus, tyrannidem potiùs barbaricam quàm juſtam aut legitimam Monarchiam liquidò offendamus! Iſtene Monarchæ nomen mereatur, aut Principis qui majeſtatem vi potiùs, quàm jure tuctur? qui cuncta ſtatuit pro lubitu; cumque parentis habeat nihil, mancipiis imperat, vel belluis, non ſubditis? à cujus unius nutu vita, fortunæ, honores pendent omnium? in quem ea felicitatis ſpe feruntur indigenæ, ut proverbio dicant, *ubi magni Domini equus pedem ponit, ibidem amplius herbam non crefcere?* Certè, veterum Ninyarum, aut Sardanalorum ex aſſe æmulus, vitia latebris tegit; egreſſu rarus, viſu triſtis ac difficilis, terrore ſuorum gaudens magis, quam reverentiâ. Igitur, incluſus intra *periam* ſuam; quò nomine cjuſ con-

conceptum venire nostis, quod in ter mille passuum ambitu una tantum pateat janua; intraque eviratorum atque pellicum greges commancipatus, Veziriorum, Bassarumque, & Agarum, & Beghorum, & Cadiorum, & Capigiorum, invidiâ & avaritiâ perenne concertantium, turbis regni curam committit; quos inter inprimis pro aure ipsi, & ore, & oculo, manuque, Veziriorum primus est: aut, consilium si quando ingreditur, velo discretus, consulentium voces observat tacitus, vultum non intaetur. Quæ juris jam & justitiæ, quæ probitatem, moresque bonos plantandi in subditis, sit ratio, inde patet, quod legum, nisi quas Alcoranum, aut perpauca Reges tulere, suggerit, expers omne forum est; quod scientiæ in scholis nullæ, præter libri istius ineptias, easque inter Moschæarum servitia, excoluntur; quod ad placendi summo Principi studium, omnis in Proceribus obsequii, vel administrationis recidat dexteritas; cujus non vitia minus amanda, quam æstimanda potestas; cujusque metus validior est, quam pœna ex legibus. Quem sævæ formidinis honorem, assentandique studium, Mossi quoque summus, (Pontificem sic dicunt,) cæteroquin Tyranno isti præ cunctis verendus, potissimam tam sancti muneris artem partemque habet. Manant ergo, ut fieri solet, Regis arrogantia, luxus, lasciviæ, immanitas, in proximos & ministros; quibus hi, ut dixi, tædam hypocrisis, & æmulationum prava studia, addunt: cumque largitionibus, quicquid volunt, assequuntur, extorsionibus vicissim immodicis infimam plebem exsugunt. quas opes plerumque, ut flumina Oceanus, faucibus immensis Domini fiscus absorbet tandem. Ipse sane Imperii successor, & hæres, vel inprimis opus habet, Janizzarorum, sive militum prætorianorum, animos, divisim virutum aspreorum aliquot millibus, (argenteæ parvæ monetæ genus est) vestibusque, illico firmare sibi; quippe penes quos electio maximam partem sita est; ut emtum honorem, non justè acquisitum d. veris. Quin nec faciem Imperatoris spectare quis audet nisi donativo stipatus accedat, Adeo muneribus hinc & pecunia obediunt omnia. Annotarunt stylo unanimi rerum Turcicarum scriptores, regni potissimum duo columina, Timarrota & Azomoglanos esse; quorum illi vice stipendii, feuda & agros, sub

sub conditione tamen eundi, mittendique suos in miliciam, possident: hi pueri Christianorum sunt, vi, consuetudine, blanditiis, & honorum spe, ad aulæ disciplinam, supplendumque Janizzarorum numerum, undique collecti. qui posteriores inprimis, cum subditos cæteros excellant facilè, & invicti hæctenus perhibeantur, non nisi stolidâ ferocitate tamen insignes deliguntur, fereque impunè aliis injurias & verbera inferunt; ne dicam, & horum hodie virtutem, præut fuit olim, partim Turcarum admistione, partim conjugiorum licentiâ, aulæque deliciis evuluisse. Sed tempus est, ut oculos jam nostros, tædiorum saturos, contra optimè constituti apud nos splendor Imperii recreet, vel irradiet. Ecquid in hoc ad laudis istius consuramationem desideratis? *Formam* temperamentum, & harmoniam? Quâ exactior ne cogitari quidem potest. Certè, quicquid Monarchia præclari, Aristocratiæ boni & commodi habet, in hanc rempublicam, tanquam perfectionis terrenæ ideam, receptum est; ut nec perturbationi ulli obnoxia, & à tyrannide libera sit. *Majestatem* Imperatoris & summam auctoritatem? Hæc nihil in terris majus, nihil sanctius, nihil augustius est; de qua Poeta:

*Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cælorum rege, potestas.*

In hac omnes dignitatum thesauri reconditi jacent, atque inde, tanquam ex uberrimo, nobilissimoque fonte, continuò manant, ac profluunt; quæ Reges, quæ Principes, & quicquid eminet à vulgo, dedit gentibus. An *Procerum, Statuumque dignitatem exposcitis?* Quæ tanta est, ut Carolus V. Imp. in aliis regnis suis, se servis ac mancipiis, in Germania Regibus imperare diceret. An *majorum denique instituta & leges exigitis?* Quas, à sapientissimis Græcorum rebus publ. acceptas, eâ prudentiâ rerum domini, Romani temperaverunt, ut toti mundo sint venerabiles; eâ solertiâ & studio, Romanorum traduces, Germani hæctenus servant, ut minimis æquè, ac summis, ad sacrosanctæ thronum Astrææ liber usque accessus patéat. Nam & Cæsares ipsi, quanquam *potestatis pleni-*

plenitudine fruuntur, legibusque soluti sunt: dignam tamen maiestate regnantis vocem autumant, legibus alligatum se Principem profiteri. Igitur harmonicam eam tanti Imperii administrationem, arctissimumque Procerum cum Imperatore, hujus cum istis, nexum qui considerat; *æconomiam* deprehendit, in quâ, cum auctoritate omnibus paterfamilias præsit, nec uxoris tamen, aut familiarium suasa salutaria spernit; *fabricam corporis* animadvertit, ubi, cum vitæ influxu membris cor præsit, singula tamen functionibus suis, officiisque expedita sunt; *anima* habet *imaginem*, in qua cum facultatum omnium princeps ratio sit, atque ab arce excelsa capitatis cæteris dominetur, hæc, dominæ isti ac reginæ nihil invidentes, promptis operationibus iussa capeffunt, mandatis obtemperant; *cælum* denique intuetur, in quo tot luminaria, facesque coruscæ, singulæ, pro diversitate graduun., Solis sui aliquem radium circumferunt ac repræsentant. Atque eapropter Principes dudum Germaniæ, omnisque Nobilitas, suæ sive libertatis, sive dignitatis, sive familiæ respectu, aliorum in suo genere ut plurimum Regnorum Proceribus ac Nobilibus præferuntur; cum Principum istorum quilibet *fit idem, possitque, suo in Principatu, quod Imperator in toto*. Verè hæc illa *αυγεῖ Χρυσείη* est, de cælo dependens, quam nulla exterorum vis, nulli hostium insultus, nulla barbarorum ferocia, si virtuti mentes uniantur, rumpere possit. Quid? Omnes universi orbis Christiani Principes Imperatori nostro sponte suâ primas concedunt, cumque Rege Alphonso, *debere se reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi, qui sit & caput, & Dux Regum, fatentur*. Quin ne Despota quidam Turcius eo numero eximendus est, qui Imperatorem quondam nostrum ex pacto *revereri ut patrem, vicissimque ab eo diligi, ut filium, voluit*; qui Cæsareos hinc Legatos, cum aliorum Regum stantes audiat, sedentes audit, primoque præ cunctis loco dignatur; qui, quoties literas ad Cæsarem nostrum mitit, *potentem Christianorum Dominum; Regumque, & Principum omnium præcipuum & summum* inscribit.

Multus sum, Aud, in asserendo, præminentis Cæsarem nostrorum culmine: & ad virum tamen, *ipsiusque populi consensionem,*
 anta-

antagonistæ me denique Thraces vocant. Annon citatas jam copias innumerabiles; non Janizzaros pedites, Spahos equites, Alcanzos & Azappos, auxilia, & numerum, quo tanto abundant, ut horum cadaveribus fossas compleant; non robur denique exercitus. Timarrotas, stipendiarios, allegatos inauditis; quibus posterioribus alendis tametsi vix quatuordecim aureorum milliones in annum sufficient, ne teruncium tamen in eos dominator summus Turca impendit? Quî vero classibus destituatur, cui tam altæ, aptæque hinc inde ad litora maris arbores crescant, ut jam fabricatas trirèmes cadere in pontum existimes? Quî commeatum desideret, cui per Syriam & Ægyptum, per Asiam & Africam undique, proventu frugum ubere horrea gemunt? Quî, nervo rerum gerendarum, pecuniis careat, cui ex redditibus ordinariis, ex feudis & beneficiis, ex muneribus & donis, coacervatæ in immensum opes fîscum locupletant? Nolo famæ hyperbolas, mutataque in diversum tempora, istis objicere. An pondus, molem, multitudinem, ad victoriam quicquam facere arbitrabimur? Virtus, virique sunt, qui toti, qui cuncti, nomen Germanis & Alemannis dedere. Aut, linquamus ista, velut minutula & ambigua: nunquid ab indole prisca, degenerasse convicti sumus hætenus; quos *latam bello gentem*, quos *atrocissimum militum genus*, *avidos periculorum ad arma natos*, Tacitus perhibet? quorum legionibus Cæsar, ipsaque Roma triumphavit toties? quæ utcunque triumphos duxerit de nobis, vincere tamen non potuit quos in annum decimum supra ducentefimum impugnavit? quæ plus cladis semper à nobis reportavit, quam victoriæ? qui si quando victi sumus, vinci non nisi per nosmet ipsos potuimus? Nempe, ut olim sine Marfis, sic deinceps sine Germanis triumphare nemo potuit. Ad nos pertinent illa elogia: Caroli V. qui, *in parando exercitu, sumere se caput ab Italiâ, brachia & manus ab Hispaniâ, pellem à Germaniâ, ventrem & pedes ex reliqua gentium collavie*, dixit; Rudolphi I. qui *cum electis quatuor galeatorum, & quadraginta pedatum armatorum de Alemannia milibus, in qualibet mundi parte se stare invictum*, non frustra gloriabatur. Nostros si cogitemus Arminios, Carolos, Ottones Henricos: an Hectoras, Alexan-

dros, Pompejos priscis invidebimus? Quorum ne ab aliis, quam Lucanis, editi putemur, etiam *famias belliosissimas* celebrant historiz. Quod si de ceteris belli subsidiis sermo est, non amplius terram *informem, asperam, et stem* incolimus. Equidem & *Africani* illi dudum effœminati, molles, utque Cato dicebat, *muliercula*, audiunt; de quibus Julius: *Veni, vidi, vici*. Sed verò & cætera terrarum istarum ubi sunt præconia? Ubi cum religione nunc scilicet, literæ, humanitas omnis, & cultura civilis; ubi artes, fertilitas agrorum, opes, tantæque laudes, uno numero omnes? Bonus omnia Jupiter ad nos transtulit. Migravit in Occidentem cunctis cum thesauris Oriens, prono in occasum mundi vespere: quæque vagina quondam erat gentium, nunc aurifodina facta est divitiarum mundi ac deliciarum omnium. Ex quo namque inde à Caroli M. temporibus, cum candelabro verbi divini, etiam dignitas Imperii ad nos pervenit, mitescere, exuta feritate, & efflorescere animis, ingeniis, cultu rerum, & ornatu, ultra quam dici potest, cœpimus; quodque dicendum est nempe, omnium modò regionum, si speciem videas, pulcherrimam; si terram, fertilissimam; si pagos & urbes, excultissimam; si incolas, populosissimam; si civilitatem, florentissimam, incolimus & inhabitamus. Quid superest disciplinarum, quas non perdidicerimus? Quid artium, quæ non sint à nobis ad summum perductæ, aut recens excogitatæ & excultæ! Obliviscamur illorum vastas eremos, horrentes sylvas, agros incultos: nulla certè ad usum satis, nedum ad cultum, inter eos prostant ædificia; pressa honoribus arceatur nobilitas; animi, natura serviles & abjecti, nec artium studio flagrant, nec facultates curant; quarum nulla aut tuta satis, aut diuturna datur possessio. Quod si quæ tamen rectè curantur officia, obeuntur dignitates, exercentur artes, civiliorum cultum redolentes: id omne apostatis, id transfugis debetur nostris, cætera ruditate, superstitionibus, sorditie, incuria, & incultu latè lquant. Tales nempe, ad legis vesaniam promptius amplexandam, voluit Mahometes. *Æquè illic magna soma, & mala, nocens*. Fidem non ultra coli, quam conducit, videas; præsertim à milite, cuius omnis virtus in vastando, dissipando, conculcando. *Æquum & iniquum quo*
fine

sine distant? Voluntatis. Nihil enim iniquum putant, quod velint; nihil æquum, quod nolint. Conjugia & polygamia temerantur, & uxorum conditione durissima; quarum non fortuna saltem, sed vita quoque est in manibus maritorum. Unde pejus servi habentur, quos necare nefas. Ita vivitur universim, ut non bellum pacis causa, sed pax belli gratia videatur appeti. Quàm execrabilis ille mos fratrum occidendorum, Imperatoribus solennis! Ut, qui gentis universæ naturam & mores cognoscere velit, in hoc summo capite cognoscere possit. Vercor, Aud. ne, si mancipiis istis, si fœminis mollicellis, si aridis & macilentis, si stupidis & barbaris, si impiis, nostram porrò ingenuitatem, fortitudinem, abundantiam cultum, pietatem opposuero, aut gloriosior justo videar, aut jactantior. Habent aliæ nationes in viris excellentibus quod jactent: at in Germanis gravitas, candor, fides, modestia, constantia, magnanimitas, non singulorum, sed totius gentis bona sunt. Fœdera religiosè, bella fortiter, pacem cautè colere, inque secundis pariter, & adversis, modestiam magnanimitate temperare, Germanorum est.

Et nescio quam fatalem propediem, totalemque, & ultimam, Eclipsin Luna Turcica minatur; adèd ipsa mole tantū Imperii, disciplinæ neglectu, morum corruptela, confusione rerum omnium, nihil non ibidem inclinatur ad interitum; ex quo præsertim Imperatori manus injecerunt subditi, illudque arcanum vulgatum est, posse à multitudine Principem impunè sperni. Nos certè, memores Aquilæ nostratis, Jovi proximæ, ejusque armigeræ, dum non rumpat triplex Electorum, Principumque, & Liberarum Civitatum funiculus, non dubitamus spurium illud sidus, atque ipsi genti suæ, indignabundum, ita alloqui:

Lumine IUNA rotho credis te posse volucrum

Ludere REGINAM, qua genuit arma Jovi?

Falleris. Hac oculis radiati lumina Solis

Sustinet, haud curans lumen in axe nossum.

Cæterum non vacat huc auguria, omina, præfagia sanctorum Virorum arcessere. Non frustra sane dudum nos in repurgationem loca sanctissima, in possessionem antiqua hæreditas, in ultionem, gentis blasphemix, in liberationem fratres captivi, omnis in auxilium, sub tantæ jugo tyrannidis, aliam conditionem sperans, suspirans, populus vocat. Quis est, qui sacrosanctæ Crucis sine mora vexillum tollat? Huic verò haud irritis nos, & inauspicatis vocibus illud toto choro acclamabimus, quod legendum olim

Constantino Magno cælestis exhibuit præfigu-

ratio: *In hoc † signo*

vincet.

D I X I.





